

sequamur, Tertullianum sic interdum esse legendum monētis quomodo Origenem, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, & nōnullos ecclesiasticos scriptores Græcos pariter & Latinos, ut bona eorū eligamus, uitemus que contraria, iuxta Apostolum dicentē, Omnia probate, quæ bona sunt tenete. Quod Hieronymi consilium ante etiam indicauimus.

De Tertulliano sic meminit diuus Aur. Augustinus in libro de hæresibus ad Quoduultdeū: Tertullianistæ, inquit, à Tertulliano, cuius multa leguntur opuscula eloquentissime scripta, usque ad nostrū tempus paulatim deficientes, in extremis reliquijs durare potuerunt in urbe Carthaginiensi. Me autem ibi posito ante aliquot annos (quod etiam te meminisse arbitror) omni ex parte consumpti sunt. Paucissimi etiam qui remanserāt in Catholicam transierunt, suamque basilicam quæ nunc etiam notissima est, catholicæ tradiderunt. Tertullianus ergo, sicut scripta eius indicant, animam dicit immortalem quidem, sed eam effigiatum corpus esse cōtēdit, neque hanc tantum, sed ipsum etiam deum corporeum esse dicit, licet nō effigiatum. Nec tamen hinc hæreticus credit factus. Posset enim quoquo modo putari ipsam naturam substantiamque diuinā corpus uocare, non tale corpus cuius partes aliæ maiores, aliæ minores ualeant uel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ proprie dicimus corpora, quāuis de animale aliquid sentiat. Sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis uel animæ qualitas, sed ubique totus, & per locorum spacia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet. Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus, sed quia transiēs ad Cataphrygas, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias cōtra Apostolicam doctrinam tanquam supra damnare, & postmodum etiam ab ipsis diuisus, sua conuenticula propagauit. Dicit sanè ipse animas hominum pessimas post mortem in demones uerti. Statum autem animæ credit per traducem propagari. Hæc diuus Augustinus. Cuius ætate uides libros Tertulliani passim legi solitos, cum dicat, cuius multa leguntur opuscula eloquentissime scripta. Legantur itaque & à nobis, sed cum iudicio. Deferendū enim est ecclesiæ, deferendū sanctorū patrū cōstitutiōibus.

FINIS.

*sanctorum ecclesie multum est deferendum*

*anima generatur per  
indivisum seminis*